infidelium. corda ubi inmundi spiritus sedes habent. designantur
quos dum predicatores sancti ad uiam salutis reuocant.
et coronantur de capite et uertice pardorum. i. de principibus
iniquorum. quia de labore certaminis crescat corona glorie.
Uulnerasti cor meum soror mea sponsa. uulnerasti cor
meum. In uulneratione cordis. xpisti et ecclesie intelligitur
magnitudo amoris. In uno oculorum tuorum et in uno crine
colli tui. In uno oculorum. i. in unitate sancta doctorum. et in
uno crine. i. subiecte plebis unitate. Quam pulchre sunt
mamme tue soror mea sponsa. In mammarum nomine. que
lacte exprimuntur. propter infirmorum consolationem. et par
uulorum sustentationem sancti doctores intelliguntur. Pul
chriora ubera uino. quia suauitas gratie. pulchrior est. legis aus
teritate. Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.
Quasi dicat. fama fidei per totum orbem diffusa suauissima
est. et latior. quam ueteris legis. et patrum obseruatio. que coan
gustatur in sola iudea. Fauus distillans labia tua spon
sa. Fauus. mel in cera est. ~~mel spiritalis~~ mel in cera spiritalis
diuinorum eloquiorum sensus. In littera mel stillans. quia pe
ne singule sententie multiplices sensus habent. Labia sponse
doctores sancti intelliguntur. qui sacris litteris inesse multi
phariorum sensus ostenditur. Mel et lac sub lingua tua. In
lacte paruulorum eruditio. in melle perfectorum fortior et doctrina
signatur. Sub lingua. i. in meditatione cordis. Et odor
uestimentorum tuorum sicut odor thuris. Vestimenta ecclesie et
opera recta intelligi possunt. que bene odori thuris comparantur.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.2, 12r – Aelredus Rievallensis, Compendium speculi caritatis; Alcuinus, Compendium in cantica canticorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-it7i/5150/49302)